BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SUMME DECET, VT QUÆ ROMANI PONTIFICES antecessores nostri Ordinibus Regularibus, magna pietatis, & doctrinæ laude in Ecclesia fulgentibus, privilegia concesserunt; ea interim per Nos confirmentur, qui Regularem professionem emisimus; quiquè ex iniuncto Divinitus parvitati nostræ Apostolatus officio, tenemur eosdem Ordines Sanctæ Matri Ecclesiæ, diu, noctuque, famulantes; gratijs, & largitionibus Apostolicis, in tam laudabili proposito confovere. Sanè ex parte dilecti filij Fratris Iosephi Mariæ ab Ebora Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci de Observantia nuncupatorum, nobis expositum est, hanc Sanctam Sedem Apostolicam eidem Ordini in Religiosa vivendi regula, & Evangelica paupertate, per vestigia Beati Francisci auctoris sui fidelitèr incedenti, plurimis privilegijs se munificam, & liberalem ostendisse. Quidam enim ex Romanis Pontificibus antecessoribus nostris Seraphicam eorumdem Fratrum Minorum regulam, sæpè numero, etiam in secundo generali Concilio Lugdunensi, approbaverunt; alij verò quam plurimas exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, indulgentias, etiam plenarias, atque animabus, in Christi charitate defunctorum applicabiles; peccatorum remissiones, absolutiones, privilegia, prærrogativas, atque indulta spiritualia, & temporalia, aliasque insignes gratias, eidem Ordini, & præcipuè Fratribus Minoribus, qui à Regulari Observantia nuncupatorum; & Beatæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia appellato, Ordinibus concesserunt, atque Apostolica auctoritate impertiti fuerunt. Alij demum ad quascumque contentiones extinguendas, pacem retinendam, vnitatem, disciplinamque religiosam servandam; & Prelatorum, Ministrorumque Regularium, electionem ritè, & pacificè peragendam, eiusdemque Ordinis Sanctum, & fœlix regimen administrandum, presertim eorumdem Fratrum de Observantia, Beatæ Claræ, & Tertij Ordinum præfatorum, multas sanctiones, ordinationes, constitutiones, declarationes, & decreta ediderunt, ac promulgarunt, de quibus omnibus existunt literæ Apostolicæ tenoris sequentis, videlicèt:

Honorij III. incipientes: Quia populares, Pontificatus sui anno nono. Aliæ Gregorij IX. incipientes: Cum illorum, Pontificatus sui anno tertio. Aliæ eiusdem Gregorij incipientes: Devotionis vestræ, Pontificatus sui anno sexto. Aliæ eiusdem Gregorij incipientes: Ad audientiam, nono Kalendas Martij, Pontificatus sui anno decimo quarto. Aliæ eiusdem Gregorij incipientes: Quia confusio, Idibus Decembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ

Ale-

Alexandri IV. incipientes: Ut in vestris, quinto Kalendis Iulij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ eiusdem Alexandri incipientes: Convenit vt Sacer, decimo septimo Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Alexandri incipientes: Mente solicita, septimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno quinto. Aliæ Martini IV. incipientes: Exultantes, quarto Idus Februarij, Pontificatus sui anno secundo. Aliæ Nicolai IV. incipientes: Quia nonnulli, vndecimo Kalendas Maij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ Bonifacij VIII. incipientes: Inter cæteros, tertio Idus Novembris, Pontificatus sui anno primo. Alię Eugenij IV. incipientes: Ad statum singulorum, quarto Idus Maij, Pontificatus sui anno primo. Alię eiusdem Eugenij incipientes: Licèt Romani Pontificis, Idibus Augusti, Pontificatus sui anno nono. Aliæ Nicolai V. incipientes: Quia nonnulli, vndecimo Kalendas Maij, Pontificatus sui anno primo. Alię eiusdem Nicolai incipientes: Et si cunctorum, decimo septimo Kalendas Februarij, Pontificatus sui anno quarto. Aliæ Sixti IV. incipientes: Cum semper, quarta Maij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ eiusdem Sixti incipientes: Sacrosancta Romana, duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno tertio. Aliæ eiusdem Sixti incipientes: Dum singulos Regulares Ordines, Kalendis Maij, Pontificatus sui anno quarto. Alię eiusdem Sixti incipientes: Ut vestris in hac parte, tertio Idus Iunij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Sixti, quæ, & mare magnum, nuncupantur; pridiè Kalendas Septembris, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Sixti incipientes: Scripsimus, vigesima quarta Octobris, Pontificatus sui anno octavo. Alię eiusdem Sixti, quæ, & Bulla aurea, nuncupantur, septimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno eodem. Alię Innocentij VIII. incipientes: Admonet nos; decimo quarto Kalendas Februarij, Pontificatus sui anno quarto. Alię Alexandri IV. incipientes: Sacræ Religionis, quinta Februarij, Pontificatus sui anno octavo. Aliæ Iulij II. incipientes: Hodie à nobis, decimo quinto Kalendas Iunij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ eiusdem Iulij incipientes: Alias ad supplicationem, prima Iunij, Pontificatus sui anno sexto. Alię eiusdem Iulij incipientes: Charissimi in Christo, prima Iulij, Pontificatus sui anno octavo. Aliæ Leonis X. incipientes: Notum facimus, septima Ianuarij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Religionis, tertia Februarij, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Affectu benevolentiæ, decima sexta Februarij, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Dudum siquidem, decima Iunij, Pontificatus sui anno secundo. Alię eiusdem Leonis incipientes: Cum sicut nobis, vigesima nona Martij, Pontificatus sui anno tertio. Alię eiusdem Leonis incipientes: Superioribus diebus, decima quarta Maij, Pontificatus sui anno quinto. Alię eiusdem Leonis, quæ, Bulla vnionis, nuncupantur, quarto Kalendas Iunij, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis, quæ, & Bulla concordiæ, nuncupantur, pridiè Idus Iunij, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Exponi nobis, vigesima nona Iulij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Leonis incipientes: Licèt aliàs, sexta Decembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Celebrato nuper, vndecima Aprilis, Pontificatus sui anno sexto. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Postquam, octava Augusti, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Dudum per nos accepto, decima Decembris, Pontificatus sui anno septimo. Aliæ eiusdem Leonis incipientes: Affectu benevolentiæ, vndecima Decembris, Pontificatus sui anno octavo.

Aliæ eiuſdem Leonis incipientes: Et ſi pro iniunctæ, decima Ianuarij, Pontificatus ſui anno nono. Aliȩ Adriani VI. incipientes: Exponi nobis, trigeſima prima Iulij, Pontificatus ſui anno primo. Aliæ Clementis VII. incipientes: Dum fructus vberes, trigeſima Maij, Pontificatus ſui anno ſecundo. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Dum conſideramus, decima ſexta Aprilis, Pontificatus ſui anno tertio. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Cum ſicut nobis, vigeſima octava Ianuarij, Pontificatus ſui anno ſeptimo. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Vacantibus, ſub Religionis, decima nona Septembris, Pontificatus ſui anno ſeptimo. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Accepimus quod, vigeſima Martij, Pontificatus ſui anno octavo. Aliæ Pauli III. incipientes: Altitudo Divini, Kalendis Iunij, Pontificatus ſui anno tertio. Aliæ eiuſdem Pauli incipientes: Dudum ſiquidem, decima quarta Ianuarij, Pontificatus ſui anno quinto. Aliȩ eiuſdem Pauli incipientes: Dudum fœlicis, decima ſeptima Aprilis, Pontificatus ſui anno ſexto. Aliæ eiuſdem Pauli ſimilitèr incipientes: Dudum fœlicis, trigeſima prima Martij, Pontificatus ſui anno decimo. Aliæ eiuſdem Pauli incipientes: Solet Romanus Pontifex, decima nona Auguſti, Pontificatus ſui anno duodecimo. Aliæ eiuſdem Pauli incipientes: Cum ſicut accepimus, decima ſeptima Maij, Pontificatus ſui anno decimo tertio. Aliæ Iulij III. incipientes: Paſtoralis officij, pridiè Nonas Octobris, Pontificatus ſui anno quarto. Aliȩ Pij IV. incipientes: Ex Clementi Sedis, vigeſima ſeptima Aprilis, Pontificatus ſui anno ſecundo. Aliæ B. Pij V. incipientes: Dum ad vberes, vigeſima nona Iulij, Pontificatus ſui anno primo. Aliæ eiuſdem B. Pij incipientes: Etſi mendicantium, decimo ſeptimo Kalendas Iulij, Pontificatus ſui anno ſecundo. Aliæ eiuſdem B. Pij incipientes: Ex ſupernæ, decimo ſeptimo Kalendas Septembris, Pontificatus ſui anno eodem. Aliæ eiuſdem B. Pij incipientes: Ea eſt officij noſtri ratio, quinto Nonas Iulij, Pontificatus ſui anno tertio. Aliȩ eiuſdem B. Pij incipientes: Romani Pontificis, decima nona Iulij, Pontificatus ſui anno ſexto. Aliæ Gregorij XIII. incipientes: Conſuevit Romanus Pontifex, octava Septembris, Pontificatus ſui anno ſecundo. Aliȩ eiuſdem Gregorij incipientes: Quoniam noſtrȩ, octava Aprilis, Pontificatus ſui anno tertio. Aliæ eiuſdem Gregorij incipientes: Paſtoralis officij, vigeſima ſecunda Martij, Pontificatus ſui anno nono. Aliæ eiuſdem Gregorij incipientes: Significaſti nobis, trigeſima prima Decembris, Pontificatus ſui anno decimo tertio. Aliȩ Sixti V. incipientes: Etſi mendicantium, vigeſima octava Ianuarij, Pontificatus ſui anno primo. Aliæ eiuſdem Sixti incipientes: Romani Pontificis providentia, vigeſima nona Martij, Pontificatus ſui anno eodem. Aliȩ eiuſdem Sixti incipientes: Deſſolatæ gregis, octava Novembris, Pontificatus ſui anno ſecundo. Aliȩ Clementis VIII. incipientes: Cum ſicut, decima Maij, Pontificatus ſui anno nono. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Viſo memoriali, vigeſima quinta Ianuarij, Ponticatus ſui anno vndecimo. Aliȩ eiuſdem Clementis incipientes: Licèt Sacro, duodecima Ianuarij, Pontificatus ſui anno decimo tertio. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Expoſitum nobis, vigeſima octava Ianuarij, Pontificatus ſui anno eodem. Aliæ eiuſdem Clementis incipientes: Quæcumque à Sede, ſeptima Decembris, Pontificatus ſui anno eodem. Aliȩ Pauli V. incipientes: Expoſitum nobis, vigeſima quinta Iunij, Pontificatus ſui anno quarto. Aliȩ eiuſdem Pauli incipientes: Cum inter fratres, vigeſima Novembris, Pontificatus ſui anno vndecimo. Aliȩ eiuſdem Pauli incipientes: Pro parte, tertia Iunij, Pontificatus ſui anno decimo tertio. Aliæ eiuſdem Pauli incipientes:

Con-

Congregatio Sacrorum, vigesima tertia Martij, Pontificatus sui anno decimo quinto. Alię Gregorij XV. incipientes: Cum aliàs, decima septima Augusti, Pontificatus sui anno primo. Alię Urbani VIII. incipientes: Romanus Pontifex, decima quinta Martij, Pontificatus sui anno primo. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Aliàs à fœlicis recordationis, septima Februarij, Pontificatus sui anno secundo. Alię eiusdem Urbani incipientes: Cum sicut dilectus, trigesima Iunij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Urbani incipientes similitèr: Cum sicut, eisdem die, & anno. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Exponi nobis, octava Augusti, Pontificatus sui anno tertio. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Expositum nobis, decima nona Februarij, Pontificatus sui anno quinto. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Ex incumbentis, nona Ianuarij, Pontificatus sui anno septimo. Alię eiusdem Urbani incipientes: Cum Procurator, vigesima secunda Martij, Pontificatus sui anno nono. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Exponi nobis, duodecimā Iulij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Urbani incipientes: Cum sicut, secunda Martij, Pontificatus sui anno decimo quinto. Alię eiusdem Urbani incipientes: Exponi nobis, vigesima octava Iulij, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Aliàs postquam, nona Decembris, Pontificatus sui anno decimo septimo. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Sacra Congregatio, vigesima nona Ianuarij, Pontificatus sui anno decimo octavo. Alię eiusdem Urbani incipientes similitèr: Sacra Congregatio, decima Septembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Iustis, ac honestis, tertia Maij, Pontificatus sui anno vigesimo. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Sacra Congregatio, eisdem die, & anno. Aliæ eiusdem Urbani incipientes: Aliàs à nobis, decima Iunij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Urbani incipientes: Cum sicut, decima septima Novembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ Innocentij X. incipientes: Aliàs pro exequutione, vigesima septima Martij, Pontificatus sui anno tertio. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes: Sacra Congregatio, decima quinta Decembris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ Alexandri VII. incipientes: Cum sicut, vndecima Iunij, Pontificatus sui anno quinto. Aliæ eiusdem Alexandri incipientes: Aliàs pro parte, vigesima secunda Iunij, Pontificatus sui anno nono. Aliæ Clementis X. incipientes: Exponi nobis, vigesima tertia Septembris, Pontificatus sui anno sexto. Alię Innocentij XI. incipientes: Nuper à Congregatione, vigesima sexta Novembris, Pontificatus sui anno tertio. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes: Exponi nobis, vigesima septima Novembris, Pontificatus sui anno quarto. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes: Aliàs ad supplicationem, decima sexta Septembris, Pontificatus sui anno nono. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes: Aliàs pro parte, decima sexta Iunij, Pontificatus sui anno decimo. Alię eiusdem Innocentij incipientes: Exponi nobis, decima sexta Octobris, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes similitèr: Exponi nobis, decima Februarij, Pontificatus sui anno duodecimo. Alię eiusdem Innocentij similitèr incipientes: Exponi nobis, decima Aprilis, Pontificatus sui anno eodem. Alię Innocentij XII. fœlicis recordationis Romanorum Pontificum prędecessorum nostrorum incipientes: Christi fidelium, decimo quarto Kalendas Martij, Pontificatus sui anno tertio. Alię eiusdem Innocentij incipientes: Nuper pro parte, septima Aprilis, Pontificatus sui anno eodem. Aliæ eiusdem Innocentij incipientes: Debitum, decima nona Maij, Pontificatus sui anno eodem. Alię eiusdem Innocentij incipientes: Aliàs à fœlicis memoriæ, quinta Decembris, Pontificatus sui anno sexto, respectivè expeditę.

Quum autem, ſicut eadem petitio continebat ijdem Fratres Minores de Obſervantia Apoſtolicas largitiones, tàm, ante literas fœlicis memoriæ Leonis X. anteceſſoris noſtri incipientes: Ite vos Univerſo Ordini Beati Franciſci; quàm, poſt Leonem ad hæc vſque tempora, ijſdem Fratribus de Obſervantia, Beatæ Claræ, & Tertio de Pœnitentia Ordinibus, collata privilegia, illæſſa, & ſarta, tecta tueri optent, memoria repetentes per Sedem Apoſtolicam ſemel conceſſa, licèt ſæpè numero approbata, & confirmata, ſi denuò Apoſtolicæ auctoritatis præſidio fulciantur, in ſuo robore magis perſiſtere, & maximum pondus apud omnes Chriſti fideles obtinere: propterea ijdem Fratres Minores de Obſervantia prædictas literas Apoſtolicas noſtra auctoritate approbari, confirmari, & innovari cupientes; per eumdem Ioſephum Mariam nobis humilitèr ſupplicari fecerunt, vt dicti Ordinis Minorum ſtabilitati, & decori, iuxta eorum vota, conſulere, deque Apoſtolica benignitate providere, vt in alijs iam fecimus, dignaremur. Dudum enim per quaſdam literas noſtras incipientes: Solicitudo Eccleſię; inter alia, ſuperiùs indicatam conſtitutionem Pij Papæ V. cuius initium: Dum ad vberes; qua Ordines Regulares Mendicantium vtriuſque ſexus, reſque eorum, à quibuſcumque exactionibus, & vectigalibus, eximuntur; de verbo ad verbum inſertam confirmavimus, & Ordinem Fratrum Minorum Regularis, & ſtrictioris Obſervantiæ inter quatuor Mendicantium Ordines comprehenſum; ideòque privilegijs in eadem conſtitutione expreſsis gaudere; declarantes illum ab omnium vectigalium onere, & literarum ſolutione, præſertim in dominijs S. R. E. perpetuò exemimus, alijſque gratijs Apoſtolicis cumulavimus. Per alias etiam literas noſtras, Romæ datas apud Sanctum Petrum, anno mileſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, quarto Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo, incipientes: Paterna Sedis Apoſtolicæ; alias literas, & privilegia à Romanis Pontificibus anteceſſoribus noſtris in Tertiarios quoſcumque, eorumque Ordinem, quomodolibet collata, ipſoſque Tertiarios Habitum Pœnitentię à Fratribus Minoribus de Obſervantia ſumentes, & ab eis dependentes; omnimodè, iuriſdictioni, & regimini Superiorum Generalium denuò ſubiecimus, & commendavimus. Ad hæc per alias literas noſtras ſub anulo Piſcatoris, Romæ paritèr datas apud Sanctum Petrum, die decima quarta Februarij, mileſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Pontificatus ſui anno ſecundo, incipientes: Paſtoralis officij; ſtatuimus, & ordinavimus, vt Fratres Minores de Obſervantia vbique terrarum, tàm in Proceſsionibus, quàm in publicis, & privatis actibus, & functionibus, ſuper omnes Fratres Reformatos, Miniſtri Generali totius Ordinis Minorum ſubiectos, præcedentia gauderent. Mox per alias Romæ datas apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę mileſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Kalendis Martij, Pontificatus noſtri anno tertio, incipientes: Ex quo Sedes Apoſtolica; conceſsimus, & indulſimus, vt in Eccleſia B. Mariæ de Aracœli, de Urbe, Conventus eorumdem Fratrum Minorum Obſervantium, Archiconfraternitas Conceptionis B. Marię Virginis Immaculatę inſtitueretur, cui alię quęcumque Confraternitates aggregari poſſent, cum nonnullis Indulgentijs in ijſdem literis latius adductis, quarum tenores præſentibus pro expreſsis haberi volumus. Propterea Eccleſijs, Miniſtro Generali eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum, ſubiectis, Indulgentias Altaris privilegiati, ſub nonnullis modis, & formis, conceſsimus; vt in Decreto, ea de re, die decima quarta Decembris, anni mileſimi ſeptingenteſimi vigeſimi quinti, vulgato, plenius continetur. Hodie verò, per literas incipientes: Loca Sancta, Indulgentias, & privile-

gia quęcumque ad loca Sancta Palestinæ accedentibus, & Guardiano, & Fratribus Minoribus de Observantia ibidem morantibus, & exercitium Viæ Crucis in Ecclesijs eorumdem Fratrum peragentibus, anteà concessa, nostris quoque literis incipientibus: inter plurima; approbavimus, confirmavimus, extendimus, & ampliavimus; vt in ijsdem nostris literis hodie confectis latius exprimitur.

Quare eidem Iosepho Mariæ specialem gratiam facere volentes, & aquibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, approbationes iam dictas, explicationes, declarationes, exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, indulgentias, etiam plenarias, & animabus, in Christi charitate defunctorum applicabiles; peccatorum remissiones, absolutiones, privilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam quoad susceptionem Sacrorum Ordinum extra tempora à iure statuta, absque exhibitione literarum Apostolicarum in forma Brevis, sed vigore privilegiorum per Apostolicam Sedem, vel expresè, vel per viam communicationis Regularibus concessorum, vt nuper à nobis ipsis, in Concilio Lateranensi, & per Congregationem particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis, & extensionis cum alijs Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, pręsertim S. Benedicti, ac, quem nos professi sumus, Ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Iesu; item sanctiones, ordinationes, decreta, moderationes, constitutiones, tàm in vniversi Ordinis Beati Francisci, sub Fratrum Minorum tantum, aut sub alia quacumque denominatione, quæ hic pro expressa habeatur; quàm in eorumdem Fratrum Minorum Observantium, B. Claræ, & Tertij de Pœnitentia Ordinum, quorum privilegiorum confirmatio per nos facta, salva, & illæsa persistat, etiam quoad Superiores, Fratres, Moniales, sorores eorumdem trium Ordinum, personasque quascumque, & Procuratores & Syndicos quorumbis Conventuum, ipsosque Conventus, Monasteria, domus Regulares, Ecclesias, & alia loca, etiam quoad ritum celebrationis Missarum, recitationis horarum Canonicarum, & aliarum precum, ac festa Sanctorum Ordinis Minorum. Confirmamus etiam superius memoratas literas Apostolicas in ijs, quæ, præsentem statum pacificum aliorum Ordinum, Beati Francisci nulla in re perturbant; & præcipuè literas Apostolicas prædictorum antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, & alias quascumque Apostolicas literas, quomodocumque editas, atque vulgatas, dummodò eorum existentia legitimè, & validè comprobetur, etiamsi æedem literæ sæpius concessę fuissent; quas omnes, & singulas, inque ijs contenta, quæcumque, atque inde posteà legitimè deducta, pariter confirmamus, vna cum rescriptis, per Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, indè confectis in favorem dictorum Fratrum; volentes, vt hic pro sufficienter expresis, atque insertis, tenores eorumdem rescriptorum, & literarum, cum omnibus clausulis, decretis, & derogationibus suis habeantur.

Una cum his, prætereà, confirmamus, duo alia decreta per eosdem Venerabiles Fratres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immunitati Ecclesiasticæ tuendæ præpositos, quorum priùs editum est die decima Maij, quo Procuratores, & Syndicos Fratrum Minorum de Observantia, ex literis Apostolicis fœlicis memoriæ antecessoris nostri Clementis Papæ VIII. gaudere declarantur privilegio fori

in

in causis civilibus, criminalibus, mixtis, nec posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec ab vllo molestari, nisi coram legitimo conservatore. Alterum verò die septima Ianuarij vulgatum, quo Agentes Monasteriorum Monialium Ordinis Beatæ Claræ exempti dicuntur à repræsalijs. Confirmamus item declarationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, bono regimini prępositorum, die vigesima quarta Ianuarij, millesimo quingentesimo nonagesimo nono, factam; qua singuli Apostolici Syndici, pro singulis Conventibus Fratrum Minorum Observantium legitimè deputati, à solutione collectarum in oneribus communitatum exempti esse statuuntur. Demum confirmamus, & perpetuò approbamus, quæcumque alia Decreta, Apostolicasque declarationes, per eosdem Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quandocumque, & quomodocumque vulgatas pro Fratribus Minoribus Observantibus, & Beatæ Claræ, ac Tertij de Pœnitentia Ordinibus; dummodò eiusmodi literæ, & declarationes, Concilij Tridentini decretis, non adversentur. Demum in plenam Observantiam, pristinum, & validissimum statum, restituimus, revocamus, innovamus, omnia, & singula præmissa; & quatenus opus est, ea omnia denuo concedimus, & indulgemus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, adijcimur, omnesque, & singulos iuris, aut facti, quarumcumque, ac in præmissis fortasè omissarum; nec non quoscumque alios quantumvis substantiales deffectus, si qui forsan, quomodolibet, reperirentur, auctoritate nostra supplemus.

Volumus autem præsentes nostras literas, & in eis, vt dictum est, contenta quæcumque, semper validas, & efficaces esse, & forè, suosque totos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat, & in futurum spectavit, firmitèr, & inviolabilitèr observari; neque vllo vnquam tempore, ex quocumque capite, etiam in corpore iuris expresso, avt ex qualibet causa, quamtumvis pia, legitima, privilegiata, & iuridica; ex eo etiam, quod, quicumque in præmissis, & circa ea, quomodolibet, ex qualibet causa, ratione, actione, vel occasione ius, aut interesse habentes, vel se habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas æedem præsentes literæ prodierint, adductæ, verificatæ, & iustificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali in excogitato, ac specificam, & individuam mentionem, requirente defectu; sivè etiam ex eo, quod in præmissis, eorumvè aliquo, solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non forent; aut ex quocumque alio colore, prætextu, ratione aliavè causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda esset; notari, invalidari, retractari, limitari, infringi, restringi, in ius, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris, reduci non possint: & nemo contra eas restitutiones in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque facti, vel gratiæ, remedium impetrare, seu quomodolibet, etiam motu proprio concesso, vti, vel se iuvare in iudicio, vel extra illud valeat; nec easdem præsentes, sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, alijsquę contrarijs dispositionibus, per nos etiam, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes; etiam die proxima post eorum assumptionem, vel alias motu simili, & consistorialitèr, etiam si de his nostris præsentibus specialis mentio fieret, pro tempo-

po-

pore factis, & faciendis, compræhendi; sed semper ab illis exceptas esse volumus, & quotiescumque illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum, restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori data, concessas esse, & forè, decernimus. Sicque, & non aliàs per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, iudicari, & definiri debere, volumus; quidquid secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr, contigerit attentari. Quo circa, dilectis filijs nostro dicti Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Cardinali Protectori nunc, & pro tempore existenti, seu in illius absentia, vel defectu, alteri ex parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus munus Protectoris huiusmodi gerenti, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per easdem præsentes commitimus & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes literas, & in eis contenta quęcumque, vbi, & quando opus fuerit, & quoties de super fuerint requisiti solemnitèr publicantes, faciant auctoritate nostra plenum eorum effectum sortiri; illisque, omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; non permittentes quemquam contra præsentium tenorem super his quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impetrari, contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna iuris, & facti, remedia, appellatione posposita, compescendo; legitimisque, super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij Sæcularis. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. similitèr prædecessoris nostri, qua cabetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel alijs vices suas comittere audeant, seu præsumant; & in Concilio Generali editæ de duabus dietis, alijsque quibusvis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Provintialibus, & capitularibus dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoris, & formis per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos ipsos, & Sedem prædictam, cum quibusvis irritativis, annullativis, casativis, revocativis, modificativis, præservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatorium derogativis, alijsque efficatioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialitèr, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorumdem præmissorum, concessis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialitèr, & expresè, derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Vo-

Volumus autem; vt earumdem præsentium literarum transumptis, manu alicuius ex Secretarijs Ministri, vel Commissarij Generalis Ordinis eorumdem Fratrum de Observantia, seu Notarij publici, subscriptis; & sigillo officij eiusdem Ministri, vel Commissarij, aut Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, novæ concessionis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo, quinto Nonas Martij, Pontificatus nostri anno tertio. Loco ✠ Plumbi.

P. Cardinalis Prodatarius. T. Cardinalis Oliverius.

VISA DE CURIA.

J. Archiepiscopus Ancyranus. L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Ego infrascriptus pro Secretarius Generalis Ordinis, & Secretarius Generalis Indiarum, attestor, præsentes literas, per me visas, & registratas, in omnibus concordant cum suo originali, in cuius fidem, me subscribo, & sigillo minori munio, in hoc Conventu S. P. N. Francisci, Curiæ Matritensis. Die Mensis Octobris, anno Domini 1727.

BENEDICTI . XIII

PONT . MAX

CONSTITUTIO